



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hermanni Conringii De Antiquitatibus Academicis Dissertationes

Conring, Hermann

Helmeftadii, 1674

Svpplementvm LXXII. Ad pag. CXLIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12929

cautum, nec proinde similia cum peregrinantibus pericula fuerunt metuenda. Non porrò ad omnis doctrinæ sed solos Legum Professores & Studiosos Authentica hæc spectat. Id quod non est quod miremur; quandoquidem isthac tempestate non tantùm non Bononiæ, sed nec alibi per universas Imperii terras aliud quoddam doctrinæ genus in Scholis doceretur: secus quam Parisiis & in Britannia obtinebat.

Quod forum attinet, de solorum Scholarium litibus aliquid sub finem Authenticæ est constitutum: nec videtur trahendum hoc etiam ad Professores. Disertè enim solis Scholaribus data est fori optio: nec Professorum aliquis habuit magistrum coràm quo potuerit conveniri. Verosimile mihi est, Professorum causas ad forum Ecclesiasticum ordinarium tunc pertinuisse, quandoquidem jam tunc temporis Professores clericorum fuerunt ordina accensiti. Quæ res deinde in quam multis locis plurimùm mutavit.

SUPPLEMENTVM LXXII.

Ad pag. cxliv.

DE permessa optione Legum, jam tum seculo nono in Italiam introducta, diximus latius *l. de Origine Juris Germanici cap. 20 pag. 107.*

SUPPLEMENTVM LXXIII.

Ad pag. cxlv.

VT liqueat optionem fori etiam olim aliàs fuisse in usu, adferemus hoc loco doctissimi & Juris quoque prudentissimi scriptoris Jacobi Gothofredi Dionysii F. verba quædam ex illo elegantissimo commentariolo, quem seorsim ad *Leg. Si Barsatorum 13 Cod. de Fidejussorib.* conscripsit. *Optio- ni, inquit, præventionis, locus olim esse quandoque poterat, sive in transmittendis reis à municipali magistratu, ut h. l. sive in vindicandis ab uno diligentiore è pluribus iudicibus competentibus, sive etiam*